



DE  
H Y D R O P E

---

31

D. XIX. MAII CICICCCXC.

DOCTORIS MEDICI

DIGNITATEM CAPESSVRVS

PVBICE DISSERET

CAROLVS FRIDERICVS IDELHOF,  
SCHWEDA - VCARO - MARCHICVS.



---

TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

DE

# HYDRA

D ZIX MAI CCCCCCCC

DOCTORIS MEDIC

TRINITATIS CATHOLICA

MURUS D 1228

HYDRA DOCTORIS MEDIC

HYDRA DOCTORIS MEDIC



## PRAEFATIO.

Maiorum vsu ac consuetudine ita receptum est, vt, qui hos illosue honores petunt, specimen antea ingenii aliquod edant; quo intelligatur, quid quantumque sit illud, quod ab iis sperari possit ac debeat. Cogitanti igitur mihi, in tanta rerum copia, de materia, quam explicandam sumerem, ad

A rite

rite capessendos summos artis medicae honores, dissertationem de hydrope conscribere visum est. Hasce quidem primitias studiorum meorum ut in bonam partem accipias, B. L. etiam atque etiam te rogo.

Egidem non ignoro, rem me elegisse a nouitate plane alienam, et a doctissimis viris satis superque tractatam. Si igitur propterea sunt, qui mihi indignentur, lubenter fateor, me longe adhuc abesse a numero eorum, qui de plurimis a se inuentis gloriari queunt. Tantum in animo fuit, hydropis causas, de quibus inter medicos non omnino conuenit, ventilare, eiusque curandi methodum breuiter tradere. Quomodo hoc exegerim, lectorum sit iudicium. Vale, B. L. omnique bonorum genere, quo homini frui fas est, fruere.

§. I.

## §. I.

Praeternaturalis fluidorum aquosorum cumalata copia, in cauitate quadam corporis animalis eiusue tela cellulosa stagnans, hydrops nomine adpellatur.

## §. II.

Ex definitione iam sequitur, ut hydrops discerni possit in *hydropem* stricte sic dictum, qui ratione cauitatis, in qua obijnet sedem, cognominari solet, e. g. hydrops ascites, pectoris, peritonaei, ovarii, scroti, etc. et in *hydropem anasarca*, qui in tela cellulosa tantummodo habitat. Utique saepius coniunctus est, atque vnam eandemque potest originem trahere; ex quo sponte intelligitur, non sedis, sed potius causarum diuersitatis in morbo hoc cυrando rationem maximam requiri.

## §. III.

Antequam ad morbum hunc exponendum accedimus, non alienum esse videtur, duas res, in hoc morbo spectandas, hic in medium proferre; nempe telam cellulosam et vasorum absorbentium systema.

Tela cellulosa toto in corpore diffusa est, omnesque, vel minimas partes corporis, coniungit atque inuestit. Magno vasorum numero transitus

A 2

hic

hic patet, ex quorum ostiis, pro diuersa fabricae suae ac situs ratione, varia fluida recipit e. g. pinguia, mucosa, serosa, etc. Habet, ac ceterae omnes corporis humani partes, vim recellendi, siue, ut vulgo dicitur, elaterem, cuius ope receptis fluidis aequaliter et consentaneam statui corporis animalis sano motione impertitur, donec scilicet earum partium vires, quae ceteris functionibus circa fluida profundunt, apte sibi inuicem respondent. Contra vero si haec partes vires negant, ita, ut fluida impedianter, quo minus libere transirent per interualla huius telae, fieri non potest, quin accumulatio fluidorum accrescat. Intelligitur simulque, telam ipsam, conditione quadam definita, ad cumulationem fluidorum in cavitate sibi proxima aliquid adferre posse.

Systema vasorum absorbentium similiter toto in corpore eiusque visceribus ac cavitatibus diffusum est. Cum tela cellulosa ubique connectitur. Resorbent eiusdem vasa in omnibus tauris fluida deposita, illisque locum et viam monstrant. Ideoque haec vasa duplificem habent vim: nempe absorbentem et repellentem. Illa ea est vis mortua, quae a physicis tubulis capillaribus tribuitur; haec ea est vis viua, vasis dictis penitus insita, et quam cum motu peristaltico quasi comparare possit. Facit haec, ut fluida ubique promoueantur, ut in suis locis permaneant, neque reduciantur; cui quoque rei valuulae ubique intextae mirum quantopere inseruiunt.

Ex dictis intelligitur, simulque causa aliqua functiones hasce impedierit; siue hoc factum sit erosione,

—

sione, disruptione, oppressione, siue villa alia causa, accumulationem fluidorum in tela cellulosa vel cavitate quadam oriri, ideoque vasorum lymphaticorum functiones interruptas, pro causa hydropsis proxima haberi posse.

§. IV.

Quae conuenientiam inter vasa resorbentia, et materiem resorbendam tollere possunt, hic tria potissimum spectari possunt.

I. Mala humorum mixtio. Perficere hanc praeferim valent:

- a. Deprauata organorum digestionis conditio, imprimis hepatis. Etenim, si bilis corrupta, aut iusta eius copia abest, humoribus chylus vitiiosus admiscetur; unde labente tempore humores ipsi ex mixtione sua deturbantur.
- b. Nimius potus spirituosus, in primis cerevisiae; haec sane praeter omnes apta est, humorum copiam construendi, qua vasorum tonus diminuitur; denique acrimoniam procreandi, quae absorptioni aduersatur: quo fit, ut hydrops tandem rei finem faciat.
- c. Exanthemata retrograda; acrimoniae quaedam, aut scrophulose, aut venereae; excretiones oppressae, aut necessariae, aut consuetae, e. g. sudores pedum vel perinei, ulcera, cet. Nisi acrimoniae hae e sanguine euadant, usque eo humorum

morum circulatione circumferuntur, dum vasa  
absorbentia tandem erodantur, saltem spastice  
contrahantur: quo fit, ut functiones suas plane  
denegent.

II. Debilitas vniuersalis circulationis ac nerorum  
systematis: quam vero efficiunt

a. Vita sedentaria; quae tanto difficilior est, quanto  
copiosior cum ea coniunctus fuerit animi dolor  
ac perturbatio. Omne enim circulationis systema  
permanentibus hisce causis suo elatere priuatatur,  
et vasa resorbentia non modo omnem agenti vim  
amittunt, verum etiam vasa exhalantia solito co-  
piosius exhalant. Atque hoc illud esse videtur,  
vbi in excretionibus nimis causa proxima hydro-  
pis est quaerenda.

b. Excretiones, sive spontaneae, sive artificiales,  
nimiae ac crebriores e. g. haemorrhagiae, venae  
sectiones, excretiones aluinae, etc. Hae eo ma-  
gis sunt damniferae, quo crebriores adhibentur.  
Cel. GAVBIUS pathol. inf. §. 485. bene monuit:  
euacuantum, vt frequentior abusus, ira effectus  
pessimi. Obsunt certe eo, quod plus iusto eiici-  
ant, aut cum inutili etiam utile, quod retineri  
debebat; aut nimis praeципitanter, aut tempore  
modoue incongruis, aut non suis locis. Nocent  
et emunctoriis stimulo, attritu, dilatatione, ana-  
stomosi, infirmatione, etc.

c. Hac.

2

c. Haemorhagiae consuetae suppressio. Eiusmodi homines, qui huic vitio obnoxii sunt, semper laborant languore, laboribus subeundis repugnant, debilitatisque symptomata luculentissime praeferunt. Idem quoque de plethoricis valet: vasa a nimia sanguinis copia iniustius solito dilatantur, partium solidarum cohaesio pedetentim paulatimque diminuitur, absorptio retardatur, et ita hydrops oritur. Id eo magis perficitur, si organorum digestionis vitia infidias struunt.

### III. Causae mechanicae: *huc referunrur*

- a. Ligatura<sup>e</sup> externae nimis constrictae, vestimenta arctissima, etc. Non raro accidit, vt a fascia ad hernias nimis stricte applicata, partesque subiacentes comprimente, orientur oedemata pedum. Idem in brachio euenit, si vestimentis arctioribus comprimuntur axillares glandulae.
- b. Interna pressio partis cuiusdam, ad systema absorbentium pertinentis, e. g. ossificationes, tumores, et scirri variarum vicinarum partium; a quibus si absorbentium vasa comprimuntur, progressus fluidi in iis fieri nequit. Non raro incidere solet, vt glandulae ipsae congregatae indurescant, et volumen inde maius adipiscantur; unde impedimentum in viciniis absorbentium vasis oriri, atque adeo disruptionem eorundem excitari, necesse fit. Cel. HENNINGER glandulas mesentericas se intuerisse testatur renis magnitudine: sic quoque cel. KERK-

RING

RING obseruauit, binas glandulas quindecim librarum pondus superasse. Ea lege nec difficulter intelligitur, vnde pedum intumescentia in feminis grauidis, quae plane tantummodo ab uteri pressione in vicinas partes oritur. Per hasce causas in primis hydroperas partiales originem trahunt; eo periculosiores, quo obscuriores eorum sunt causae. Hae sunt huius morbi causae praecipuae: quorum si qua adhuc omissa sit, facile tamen poterit intelligi, cui memoratorum ordinum sit adscribenda.

#### §. V.

Morbi huius curatio considerari potest, sive methodica, sive empirica, sive chirurgica. Illa se omnino ad morbi causam accommodat. Hae eo redeunt, fluidum ex corpore reiiciant, minime vero, ut eiusdem cumulationis causam tollant. Ad iustam morbi curationem plerumque utraque requiritur, saltem empirica et chirurgica sine methodica, quam nunc ordine supra constituto pertractabimus, esse nequit.

#### §. VI.

Cura methodica ad sequentes rationes institui debet.

I. Mala humorum mixtio;

a. organorum digestionis vitia, etc.

Indic. Diaeta diligens; exercitatio corporis modica; in obstructionibus resoluentia adhiberi debent,

debent, quibuscum iunguntur remedia bilem corrigentia, succi herbar. amarar. bilis animalium, etc. Donec obstructions nondum ultra limites transierint, multum expectationis exhibent haec remedia: contra vero, si aegrotus ea constitutione est, vt naturae viribus confidere non possit, experientia docet, omnia resoluentia non sufficere.

*b.* Nimius potus spirituosus, etc.

Ind. temperantia, abstinentia a potu, remedia, quae morbosam acrimoniam corrigit, vasorumque tonum restituunt.

*c.* Exanthemata retrograda, acrimoniae, etc.

In retrogradis interest quam mexime medici, vt materiam in locum suum pristinum reuocet; acrimoniae occurri debet remediis notis specificis, e. g. venereae mercurio, arthriticae guaiaco, scrophulosae alcalinis, etc.

## II. Debilitas etc.

*a.* vita sedentaria.

Indic. motio, animi exhilaratio; nihil enim eo in statu magis restituit vires, quam istae res. Bilis stases si adessent, propinentur resoluentia, corrigentia, atque leniter diuretica: experiundo enim discimus, quantus consensus sit inter bilem et vias vrinarias; inprimis vero squilla hic magno usui est.

B

*b.* Ex-

*b. Excretiones nimiae, etc.*

Indic. roborantia, excitantia; infusa baccharum iuniperi vinosâ cum martialibus, et nutrientia prossunt. Euectis humoribus, china, balnea frigida, ad tonum amissum restituendum adhibeantur.

*c. suppressio consuetae haemorrhagiae, plethora, etc.*

Indic. haemorrhagia reuocanda est: aer fixus, elixirium acidum HALLERI, hic valent. Debilitate aucta adhibeatur serpentaria. In plethora venae sectio et usus diluentium et attenuantium continuus, tremoris tartari, et vietus antiphlogistici.

**III. Causae mechanicae.**

*a. Ligaturae, vestimenta, etc.*

Remotis quam primum causis prementibus, roborantia leniter et excitantia ad tonum prostratum restituendum adhibeantur.

*b. Internae pressiones;*

Difficillimi semper sunt hi casus: cura methodica raro tantum locum habet, quia causarum sedes saepissime ignorantur; quae, etiam si apparent, omnem tamen artem spernerent, e. g. in ossificatione, aneurismate, etc. In plurimis omnia sunt naturae relinquenda e. g. oedemate pedum grauidarum; quoniam partu facto sponte res mutatur.

§. V.

§. V.

Curatio empirica eo redit, vt fluida e corpore reiciantur; vti supra iam monui. Ad hoc perficiendum quatuor in primis remedia adhiberi solent: nempe diaphoretica, emetica, purgantia, et diuretica. In hisce remediiis adhibendis maximi refert, ad phaenomena attendere; e. g. aegrotus si multum vrianae reddit, adhibeantur diuretica; si laborat alio obstruta, abstineatur purgantibus, adhibeantur vero, si aliud est voluntaria. Nullis dictorum signis animaduersis purgantia in usum vocentur, deinde diuretica; quippe quae, purgantibus praegressis, meliorum usum exhibent. Sub initio quoque morbi facilius purgantia admittenda sunt, quoniam aegrotus viribus nondum caret. Diuretica dentur, vbi adfuerit debilitas; vbi haemorrhagiae, sive aliae causae debilitantes praegressae sunt, sive morbus iam inualuerit, sive habitus aegroti, vt accidit in feminis, debilis fuerit. Vbi vero aegrotus viribus nondum defecerit, purgantia adhibeantur, quae tamen non diu adhiberi debent: neque enim, paulatim aqua decedente, prosunt; id, quod contra fit intra trium aut quatuor dierum spatium.

Omnibus hisce rite obseruatis, si euentus spei non satisficerit, attentum oportet esse medicum: purgans scilicet, vbi difficilius vim suam exhibet, aut debilitatem aliquam profert, parumque aquae extrahit, omittatur; contra vero, vbi reficit, admittatur. Idem valet de diureticis. Vtrumque autem reme-

dium si inane fuerit, per tres aut quatuor dies resolvens offeratur: quod si irritum hoc fuerit, excipiat vomitorium, et postero die illi succedat laxans sive diureticum; illud quoque si sit irritum, totius corporis curetur inuolucrum, quod saepissime, exspectationi respondet; contra vero necesse est, aquam euandi: qua de re paulo post fusius dicemus. Iam specialia horum remediorum exponamus. Diaphoretica raro consilio nostro satisfaciunt, nisi causa morbi fuerit, cui consentiant e. g. transpiratio suppressa, clima humidum, etc. sive si naturae, hanc viam ingredi, luberet, aegroti cutis esset humida, facile sudaret, et hoc facto bene se haberet. Veteres medici magnam videntur fiduciam collocasse in sudore elicendo, atque mirum est, quaenam ab iis hunc ad finem inuenta sint. Insolationes, inuolucra, cataplasma, et balnea varia, motions; de quibus CELSVS a) multa veterum curationum in hydrope colligens, disertis his verbis scribit: *Multum ambulandum, currendum aliquando, et superiores maxime partes sic perfricandum, vt calorem in cutem euocet, inter quae spiritum ipse contineat. Euocandus est sudor, non per exercitationem tantum, sed etiam in arena calida, vel laconico b), vel clibano c), similibusque aliis, maximeque utiles sunt naturales et siccae sudationes;* qua-

a) de med. lib. III. Cap. XXI.

b) Laconicum conclave erat, quod calore ita repleri potuit, ut aegrotus quam maxime in sudorem incideret.

c) Clibanus etat genus furni mobili, pani aut alii rei coquendae interuentis. Vid. PLIN. lib. XX. C. IX.

quales super Baias habemus in Myrtetis multaque alia. Emetica. Efficiunt ventriculi ac duodeni motum inuersum: hinc sit, ut cum ventriculo coniuncta vasa lymphatica, non modo humores suos cum ventriculo ipso communicent, sed etiam, ut motus, quos vomitus creat, irritationem hisce vasis concilient; vnde humorum accessio augeatur, necesse est. Experientia docet, magnam aquae copiam interdum abire, quae in ventriculo solo, nec non vasis, minime contineri possit. Propterea veteres et recentiores medici vomitoria maximi fecere, quae ipsa natura tacite quasi commendare videtur, dum saepius factum est, ut spontaneo vomitu se liberaret.

Proponuntur autem primo in refracta dosi, ita ut non vomitum, sed vrinam vrgeant, et antispasmodice agant. Inprimis dari conuenit dicta dosi, vbi moeror animique tristitia praecesserint; siue si materia exanthematica causa morbi esse videtur; denique si virtus et impuritates adfuere in primis viis. Tum in dosi copiosa: saepius vero factum est, ut aegrotus sub vomitus actu morti succubuerit, ideoque cautio est adhibenda. Dentur a) sub initio morbi, si adhuc vires adsunt; b) si aquae copia nondum accreuit, aut si iam portio eiusdem est absunta c); si ipsa natura indicat d); si linguae impuritas adest; denique e) empirice, si neque diuretica, neque purgantia, intentioni nostrae respondent: attamen hoc fiat saluis contraindicationibus.

B 3

In

In actis Havniensibus laudatur squilla, cum nitro et nuc. moschat. iuncta, et quidem ea methodo, ut squillae gr. ii. incipiatur, quae quotidie usque ad vomitum duplicarentur. Cel. SYDENHAM prescribit infusum croci metall. Cel. SAGAR tartar. emeticum in refractis et copiosis dosibus.

*Purgantia* eo melius prosunt, quo minus sunt naturae drastricae; cum omni bono euentu paulatim augeri possunt. Optimum horum esse, videtur cremor tartari; efficit tantum sedes aquosas, a quibus aegrotanti nulla conciliatur debilitas, simulque in uirinam vis efficax exercetur d). Cel. QVARIN cum borace veneta iunctum commendat: Cel. DVNCAN cum resoluenibus. Si tandem natura ipsi ita adsueta fuerit, ut efficacitas illius non amplius cernerentur, tunc cum tartaro emetico coniungi potest, tantis tamen dosibus, ne excitetur vomitus.

Saepius quoque praescribuntur purgantia vehementiora. Cel. WERLHOFF e) commendat gummi guttae in substantia cum saccharo tritum: illustr. BALDINGER f) eiusdem gummi decoctum. Ut videtur tamen, remedii hisce facile carere possumus; cum alia restent, quae idem perficere valeant atque aegroranti sint conuenientiora. Constat, prohdolor! satis superque, remedia illa vehementia tantas inter-

d) MONRO von der Wassersucht p. 61;

e) in Oper. p. 777.

f) pharmacop. Ed. n<sup>o</sup>. p. 279.

interdum debilitates creare, quas temporis quoque tractu natura vix vincere potest. Ergo sub nulla alia conditione licitum erit, remediis istis uti, ac si nullis aliis scopum nostrum assequi possimus, simulque aegrotus constitutionis fuerit robustissimae.

Cel. STÖRCK commendat radicis gratiolae drachnam dimidiā verbis his: *aquam euacuat, ubi omnia alia remedia non euacuant.* Cel. QVARIN: Tentari potest in aegris frigidis et glutinosis, ubi nulla viscerum labes, nullius inflammationis metus, neque minus corporis est extenuatio. Alio loco commendat dictus auctor radicem hellebore, iunctum roborantibus et resoluentibus.

*Diureticis* remediis omni tempore maxima laus habita est: quippe quae fluida e corpore depellere possunt. Verum, re diligentius considerata, de illorum viribus magis, quam de modo, quo vires has exercent, constat. Testate KRATZENSTEING) certum est, non omnia portulenta per sanguinem ire, sed maximam illorum partem directe in viis vrinariis deponi. Verisimile quoque hoc reddunt celeres potus transitus ad vesicam, et ipsa vrinæ similitudo cum potu sumto.

Praeterea vero primæ viae per vasa lymphatica cum cute connexae sunt: id, quod telae cellulæ tumefactio sub cute, potu frigido aquae minerali,

g) In *Dissertat. de theor. diabet.* Halae 1750.

lis, nec non in mingendi actu horror cutaneus probant. Quo posito, diuretica efficacitas quae sit, facile intelligitur.

Constat, omnia acida vegetabilium, nec non alcalia muco resoluendo idonea esse. Diuretica plerumque sunt, simulque pro diuersitate sua diuerso modo irritant. Vnde fit, vt non solum mucus in cellulosa tela soluat, sed etiam irritamentum quoddam vasis absorbentibus concilietur, quo maior nius absorbendi oritur.

Remedia omnia, nauseam inducentia, vasorum tonum excitare valent: inde quoque demonstrari potest, cur haec, in refracta dosi diureticis admixta, tantam praestant efficaciam.

In squilla hae virtutes iam coniunctae, ea ex causa quam maxime usui sunt. **H**LICKE eiusdem acetum cum sale tartari et vino antimoniali **H**VXHAMI iunctum commendat.

**B**ALDINGER h) laudat infusum vinorum squillae, cōrticum aurantiorum, et calami aromatici; **W**ERLHOFF acetum squilliticum cum aqua chaerefolii et oleo tartari p. d. l. **V**O GELI palueri squillae adponit gummi ammoniacum, tartarum tartarisatum, nitrum depuratum, magnesiam nitri, sal ammoniacum, sulphur antimonii auratum, etc.

b) *Pharmac. Edinb.*

i) *pharmacæ quaedam selectæ.*

SELLA k) mirifice extollit sal tartari cum acetato squillitico saturatum, additis extractis fumariae, centaurii minoris, trifolii fibrini, gentianae rubrae, tincturis aotimonii IACOBI, martis aperiitura, etc.

STARKE l) commendat arcanum duplicatum cum squilla, semine foeniculi, et cortice cinnamomi.

Diureticis illis, quorum virtutes potissimum a stimulo, quem in vasa lymphatica exercent, deducenda sunt, adnumerare possumus: 1) Cantharides, STOCKAR a NEVFORN m) et CHALMERS commendant cantharides cum camphora. 2) Lactuca virosam, COLLIN n) commendat extractum eiusdem ad scrupulum unum usque ad drachmam prodosi; id, quod QVARIN testatur se frustra adhibuisse. 3) Baccas iuniperi: mirum quantopere in debilitate, ab excretionibus nimis orta, prosunt. Vario modo adhiberi possunt, sive in forma theae, sive in infuso vino, itemque in substantia. 4) Salia alcalina fixa, sive acetato saturata, sive per se. Huc refertur praesertim liquor nitri fixi seu alcahest GLAVBERI, LICKE

k) medic. clin.

l) Nachricht vom clinischen Inst. zu Tessa.

m) dissert. de usu cantharid. int.

n) de lactuca virosa syuebr.

C

CKE o) commendat cineres genistae vino Rhenano saturatos: cinerum herbae nicotianae D. GARDEN p)  
semidrachmam aut drachmam bis terue quotidie.  
5) Arnica q). 6) Glandes quercin. r).

Opium cum diureticis *empirice tantummodo* adhibetur, si alia remedia non amplius profund; in primis, si aegrotus in abdomen adscitum doloribus, siue si acrimoniae quaedam in suspicionem inciderent; siue adfectus spastici, praesertim in abdome, adessent. Ita mercurius diureticis iunctus adhibetur s).

#### §. VI.

*Curatio chirurgica.* Omnia quae hoc pertinent, ut lenimina palliativa tantummodo considerari possunt, et plerumque adhibentur, ubi fluidorum accumulatio fines transgressa est. Licet non omnino negandum sit, haec interdum in morbi causis repellendis aliquid valere, si opportune usurpentur, neque eo consilio, ut fluidum tantum euacuetur.

Haud immerito veteres utebantur usione: hanc enim, nec non vesicantia, et scarificationem, si inde inflammationem seu suppurationem inferre licet,

o) in med. instr.

p) med. comment. of Edinburg, Vol. III. p. 330.

q) COLLIN annus medic. 4tus.

r) MARK an AVENBRUGGER von den Eicheln.

s) LANGHUT de mercur. dulc. potentissimi hydropis demitor.

licet, ad vim vitalem velut supplendam, valde idoneam esse, a verisimilitudine non abest. Quam vero praecautionem requirant ista remedia, ne gangraena atque sphacelus rei finem faciat, neminem credo fore in arte medica versatum, qui neget. Idem quoque de paracenthesi valet, nisi praeterea locum consideremus, quem hydrops obtinet.

Glacies vsum praestitit; id, quod facile a frigiditatis virtute robore exspectaueris. Sic balnea frigida, vbi atonia inest vasis, non improbantur: in quorum vsu tamen frigiditatis in primis ratio est habenda; quo enim frigidius, eo efficacius, est balneum. Bälnea calida, in se spectata, non nisi spasmodis sedandis et acrimoniae intra corpus haerentibus ad superficiem deuocandae inservire queunt. Cautione vero opus est: quippe cum aqua calida semper relaxationem aliquam profert, ideoque vasorum tonum, si iis debilitas insit, magis prosternet.

Ligatura in partiali hydropo non obest: quin potius spatium, in quod fluida effunduntur, omnino circumscribit, et aequilibrium vasorum absorbentium atque materiae resorbendae quodammodo restituit. Ea lege intelligitur, ligaturam in oedemate pedum prodeesse; si quidem illud in debilitate locali positum sit. In obstructione viscerum nihil valere, experientia edocemur. In oedemate vero pedum, grauidis adhibitum quemquam, non arbitrari, nisi, quae supra hac de re exposita sunt, plane reiicienda sibi persuadeat.

C 2

Ex-

Externorum remediōrum illis, quae tonica  
adpellantur, adnumerari meretur frictio oleosa. Li-  
cet verisimile sit, frictionem ipsam magis, quam  
oleum, prodesse: quia difficulter credi potest, vasa,  
aqua repleta, oleo suscipiendo esse apta. Praeterea  
eo opportunior videtur frictio stimulo creando, quo  
lenior adPLICatur: qua de re CELSVS t) iam persua-  
sus monuit: *"pueriles aut muliebres manus adhibendas  
esse, quia mollior earum tactus sit.* Haec hactenus.

t) Loco cit. p. 164.



HORATIVS.

*Crescit indulgens sibi dirus hydrops.*




v

01 A 6631


ULB Halle  
004 931 246

3





B.I.G.



DE

31

# H Y D R O P E

D. XIX. MAII CICICCCXC.

DOCTORIS MEDICI

DIGNITATEM CAPESSVRVS

PUBLICE DISSERET

CAROLVS FRIDERICVS IDELHOF,

SCHWEDA - VCARO - MARCHICVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.